



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 9. Maxentius aquis machinatus malum Constantino, aquis perit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)



submissi animi argumentum est, non com-  
 ptum, non ornatum, sed sordidatū incedere,  
 Gen. 3. 19. Deniq; ipsius Dei vox est, *Pulvis es, & in pul-*  
*uerem reuerteris*, qua voluit primum homi-  
 nem docere, eum reuersurum in terram, de  
 qua sumptus erat. Quòd si igitur prædictus  
 homo, alioqui minimè malus, ob leuem iocum,  
 adhuc hesternæ crapulæ stolidus tan-  
 topere est punitus, videant alij, qui mera  
 malitia, aut pertinacia in diuinos ritus sunt  
 blasphemij, quid mereantur.

## §. IX.

*Maxentius aquis machinatus malū Constanti-*  
*no, aquis perit.*

Sed nunc ad aquam veniamus, videamus  
 que, an ibi quoq; pœna talionis reperiatur?  
 Et reperitur sanè. Maxentius Imp. accepto  
 nuntio, Constantini Magni copias Italia  
 fines tenere, exercitum eduxit, sed in foro  
 Iulij crebris prælijs deiectus, coacto milite,  
 cum copijs suis ad mœnia vrbis refugit, ipsi-  
 que se continuit. Quintus tum agebatur an-  
 nus Imperij Constantini. Maxentius soli-  
 citus de belli euentu magam consuluit (ni-  
 hil enim vniquam sine muliercularum, aut  
 augurum responsis supersticiosus Imperator  
 gesserat) *magis improba prospera omnia*  
 polli-



pollicetur, si prius cæsis infantibus placaret  
 aduersa numina. Quod summa vanitate  
 cruentus princeps, facile perfecit, secto in-  
 fante. Iusserat autem antè, nauibus ad de-  
 cipulam compositis, fluuium sterni, & su-  
 perpositis pontibus exæquari. Cùm itaque  
 ei diem & horam, quando educendus exer-  
 citus, & manus conferendæ essent, maga  
 præscripsisset, sacris suis peractis, omnia ma-  
 gæ consilio egit; plenusque vana spe, prior  
 ante exercitum suum furibundus è portis  
 proruit vrbs; immemor præ nimia vecor-  
 dia fraudis à se fabrefactæ, pontem cum  
 paucis aggressus, in profundum mergitur  
 cum equo, nec vsquam cadauer eius postea  
 inuentum. Ad hunc modum aquis haustus **Exod. 14.**  
 est nouus Pharaos, in quas voluit, doloso **18.**  
 ponte, religiosum & pium Imperatorem  
 Constantinum præcipitare. Ita proprium  
 authorem machina percussit.

## §. X.

*S. Emmerano, in siti, non præbens potum, siti-  
 ens insanit.*

Ad hanc classem pertinet aquæ potus **S. Cyrinus**  
 Emmerano Episcopo Ratisponensi negatus, **Episc. in**  
 de quo scribit Cyrinus Episcopus, cùm ei **vita eius;**  
 in grauissimis tormentis constituto, à diui- **cap. 9. 12.**  
 nis **apud Suri-**  
**22. Sept.**